

## **Eminentissimi Ac Reverendissimi Domini, D. Joannis Baptistæ, Cardinalis De Luca, Theatrum Veritatis Et Justitiæ, Sive Decisivi Discursus**

Ad Veritatem Editi In Forensibus Controversiis, Canonicis & Civilibus, in  
quibus in Urbe Advocatus, pro una partium scripsit, vel Consultus  
respondit ; Cum Indicibus Argumentorum, Causarum ac Rerum  
luculentissimis. Opus Tam Judicibus, Quam Causarum Patronis, atque  
omnibus in utroque Foro ...

Pars I. De judiciis & judicialibus. Hoc est de Sententia & re judicata,  
Executione, Attentatis, Judice, Notario, Advocatis, Procuratoribus,  
Expensis, & aliis ad materiam judiciorum. Pars II. Relatio Romanæ Curiæ  
forensis, ejusque Tribunalium, & Congregationum

**Luca, Giovanni Battista de  
Coloniae Agrippinae, 1691**

Disc. LXIV. De judiciis, vel interdictis possessoriis; Adipiscendæ;  
Reintegrandæ; Et Retinendæ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74090](#)

nam illorum stabilitamentorum, appellatio suspensiva non intret; Secus autem ubi ista ratio non urgat, cum tunc non intret regula legitimi contradicitoris, Dunozett. decis. 690.

De iudiciis, vel interdictis possessoriis;  
Adipiscendæ, Reintegrandæ; &  
Retinendæ.

S V M M A R I V M.

- 1 Tria sunt hec interdicta, & que,
- 2 Illud reintegranda parum in usu, de ratione.
- 3 Quodlibet possessorium de iure canonico est appellabile.
- 4 Fallit in possessorio retinenda, dummodo sit summarium.
- 5 Quomodo distinguitur summarium à plenario.
- 6 Etiam in hoc remedio summario requiritur monitorum, & quando secus.
- 7 Item est appellabile si continet mixturam peritorum.
- 8 Quod extra Curiam materia possessori non bene distinguitur.
- 9 De Cumulo plurium ex his remediis, vel interdictis in idem.
- 10 Quod regulariter sint compatibilia, & quod petens immitti, vel reintegrari, fateatur se non possidere, ac probet possessionem alterius, & non detur immitti ei, qui semei possedit.
- 11 Potest peti immisio pro confirmatione possessionis, qua habeatur.
- 12 Vel peti reintegatio ad solam naturalem compatibilitatem cum retentione civilis.
- 13 Quomodo ista compatibilitas regulari debet.
- 14 De immisione, que competit proviso de beneficio, etiam ab Ordinario.
- 15 De altera pro regressu, que competit pensionario.
- 16 Et de competente pensionario, vel translatario.
- 17 Competente etiam proviso de officio, vel Prelatura.
- 18 De immisione in vim l. fin. Cod. de Edicto diu. Hadri. toll. non solum primo heredi, sed etiam fideicommissario universali.
- 19 Non datur instituto in re particulari, etiam si in legitima.
- 20 Competit etiam donatario universali, vel fideicommissario universali per contractum.
- 21 Competit feudatario in vim investitur & feudalis, vel emphyteuta.
- 22 De interdicto quorum bonorum, quod competit heredi ab intestato.
- 23 Tam istud, quam alterum l. fin. datur etiam heredi heredi.
- 24 Legatario vel fideicommissario particulari competit immisio ex interdicto quorum legatorum, vel ex interdicto salviani.
- 25 De salviano quod conceditur creditori habenti hypothecam tantum.
- 26 De hypothecaria.
- 27 Quid importet salvianum, & quid concedat immisio.
- 28 De remedio associationis in vim paci de cipiendo.
- 29 De eodem in vim constituti, & praecari.
- 30 Quod in Regno Neapolitano de stylo adiiciantur dictie clausule, que censentur apposita.
- 31 In Curia opponitur constitutum super fundato censito.
- 32 De pacto praecarii Bononiae.
- 33 De eodem remedio associationis competente domino directo pro solutione canonum, vel in causa devolutionis.
- 34 De primo & secundo decreto.
- 35 De tenuta in maioratibus Hispanie.
- 36 De Assistentia in Regno Neapolitano.
- 37 Probatio identitatis est requisitum essentiale immisionis.
- 38 Non competit immisio in hoc iudicio possessorio contra legitimum contradictem.
- 39 De exceptionibus, que competent cuilibet possessori quamvis non esset talis, ut dici valeat contradictor legimus.
- 40 De distinctione inter exceptiones claras, vel turbidas, & altioris indaginis.
- 41 An interdictum quorum bonorum detur contra titulum possidentem.
- 42 Datur ad bona quomo documque possessa per defundum tempore mortis absque iustificatione dominii, idemque in alio remedio l. fin.
- 43 An possessor obiciat de resolutione iuris unius ex iure tertii.
- 44 Quomodo in hoc materia sit procedendum, & que regula tisuper cadat.
- 45 De tribus requisitis ad faciendum contradictem in materia fideicommissaria.
- 46 De qualitatibus, que ad hunc effectum in iudice desiderentur.
- 47 De requisitis necessariis salviani circa creditum, & circa hypothecam, atque istius validitatem, vel existentiam, seu efficaciam, & de aliis exceptionibus.
- 48 An iudai, vel forenses incapaces acquisitionis bonorum in dominio sint incapaces hypotheca, ut salvianum eis non competit.
- 49 De salviano ad commoditatem bonorum incapacium hypotheca.
- 50 De conclusione, quod exceptiones altioris indaginis in iudicio salviani non admittuntur.
- 51 Declaratur quomodo & quando id procedat.
- 52 De primo & secundo extremo salviani eiusque probacione.
- 53 An sit probandum dominium possessoris, quibona hypothecavit.
- 54 De associatione, & praesertim de efficacia constitutio, & de questionibus que super eo cudent.
- 55 An in associatione requiratur citatio partis.
- 56 Quod praedictum servare formam iudicii.
- 57 An illa detur contra tertium possessorem virato singulari.
- 58 An interdictum reintegranda proveniat à jure civili, vel à Canonico, & de effectibus exinde resultantibus.
- 59 In specie de appellatione suspensiva.
- 60 Quod hac materia appellationis reguletur potius à stylis.
- 61 Quare ad inventum sit remedium reintegrationis, & quando intret.
- 62 Manutentio non datur sine possessione.
- 63 Immisio non competit ei qui semei possedit, & possessionem amist.
- 64 Quod sit magis proficuum remedium manutentionis quam reintegrationis.
- 65 Quando, & ad quos effectus excipiendo, objici soleat de spolio, & de pœni spoliatoris.
- 66 Quando oporteat recurrere ad hoc interdictum reintegrationis.

67 Possessio

- 67 Possessio quando amittatur ex facto proprio etiam nullo; Et an & quando ei qui cecidit a possessione facto proprio, competit manutentio vel reintegratio.
- 68 Possessio sicut, seu civilis cessat ex contraria animi declaratione.
- 69 Quando amittatur dicta possessio civilis per patientiam, vel per longum tempus.
- 70 Ista amissio non prajudicat pro remedio reintegratio-
- 71 Per quantum tempus istud remedium reintegratio-
- 72 De cumulatione utriusque remedii manutentionis, & reintegratio-
- 73 De reintegratione adversus creditoris immisum in salviano, & quando debeat etiam competere, & practicari manutentio.
- 74 De questionibus cum creditoribus immisibus in sal-
- 75 Possessio cuiusdem rei non potest esse penes plures in solidum, ideoque possessio unus est allegabilis a ter-
- 76 In quo casu vere & propriè intret summarium re-
- medium manutentionis.
- 77 De privilegiis huius remedium, & praesertim circa ap-
- pellationem, & quod debeat prius terminari, alias nulliter proceditur.
- 78 Quod in ea admittuntur probations imperfectae, & non dantur exceptiones contra testes.
- 79 Deratione cuiusdam rei, & similia privilegia inni-
- tantur, & quando ea procedere debeant.
- 80 Quando factum nullum ex defectu consensus non praejudicet in possessorio, praesertim in actu facto in carcere,
- 81 In hoc iudicio non queritur de justitia, vel injusti-
- ta possessionis, sed attenditur nudum factum.
- 82 Possessio anterior etiam per momentum praesertur, & debet manuteneri.
- 83 An, & quando manutentio competit illi, qui per factum iudicis expulsus est, suaque possessione pri-
- 84 Damnatur stylus procedendi cum formalitatibus, & confundi differentiam inter remedium ma-
- nutentionis, & illud reintegratio-
- 85 De agidiana, & de damnabilibus formalitatibus circa ipsam.
- 86 De privilegio associationis, de qua supra quando pro-
- cedat.
- 87 De manutentione competente in vim clausule con-
- stituti, & de quaeritoribus, que de super cadunt.
- 88 Vel reservationis usi fructus.
- 89 An sit manutentio illa possessio, cui jus reficit?
- 90 Quid ubi obstat decretum irritans, quod inficit om-
- inem possessionem.
- 91 De amissione possessoris ob lapsum decennii, vel ob patientiam.
- 92 De styllo Signature rescribendi in hoc iudicio de clau-
- sula suspensta.
- 93 Quando iste stylus procedat, & quid operetur.
- 94 De ratione, ob quam associatio, vel manutentio non admittunt appellacionem suspensivam.
- 95 Quod vel in omnibus possessoris idem dicendum efficit vel in nullo.
- 96 De ratione differentie ubi procedatur per decretum interrogatorium, vel per sententiam.
- 97 Possessorum quod habeat mixturam petitorum est appellabile.
- 98 Quae regula dari posse in hac materia.
- 99 An & quando competit manutentio ex sola affi-
- stentia juris, & praesertim in jurisdictionibus.
- 100 De manutentione in rebus non possesis ob posses-
- sionem aliorum ex causa universalis quando intret.
- 101 An possessio in parte suffragetur in toto.
- 102 De manutentione competente contra successorem, vel ex persona predecessoris.
- 103 De possessione occasionali, vel causativa, seu ad tempus, vel sub conditione.
- 104 De possessione ineffaci, & minus legiema, ut non mereatur manutentionem.
- 105 An in facultatibus intret manutentio & quando.
- 106 De Statuto de continuanda possessione defuncti in heredem.
- 107 An & quando obstat exceptio boni iuri, atque doc-
- eridebat at titulo.
- 108 Quid in beneficiis ecclesiasticis.
- 109 Quid in pensionibus.
- 110 De superveniente titulo, vel causa possidendi, eius-
- que mutatione.
- 111 Petitur in quacunque instantia, & an post rem judicata in gradu restitutionis in integrum.
- 112 Pro exequitione mandati de manutenendo datur etiam mandatum exequitivum.

## DISC. XLIV.

**Q**UAMVIS tria sint inter se distincta hæc judicia, five interdicta possessoria; Adipiscenda sci-  
licet, quod in Curia sub vocabulo immisso-  
nis explicatur; Reintegranda, quod sub vo-  
cabulo Reintegrationis & Retinenda, quod sub vocabulo manutentionis; Attamen in Curia,  
primum & ultimum, in præfationis sunt, me-  
dium autem reintegrationis ab aula quodammodo  
recessisse videtur, five in oblivionem abiisse, quam-  
vis apud antiquiores in eadem Curia illud esset fre-  
quentis, ultimum vero è converso nimis ratum, pene-  
que ignotum, tit. de alien. & contract. disc. 1. num.  
101. Dunoz. et. dec. 2. 5. 2. n. 43. rep. dec. 139. par. 6. rec.

Ratio huius mutationis productiva, provenit à Juris canonici dispositione cum qua proceditur in Curia Romana ecclesiastica, id est Papaæ, tanquam Papæ, quidquid sit de eadem Curia in seculari, id est Papa tanquam Principis temporalis, ut infra; Cum enim de hoc jure non procedat illud privi-  
legium, quod generaliter per Jus Civilis, istis inter-  
dictis possessoris concessum est, processus scilicet exequitivus, cum denegatione appellacionis suspen-  
siva, quoniam pro regula generali, quodlibet posses-  
sorum de jure canonico est appellabile, adeo ut nulla dignosci videatur differentia inter possessorum & petitorum, supra disc. 37.

Ab aliquo vero moderno tempore, Curia rece-  
perit opinionem, ut possessorum retinenda, quod manutentio dicitur, quando summarium sit, non autem plenarium, non admittat appellacionem su-  
sensivam, sed sit exequitivum, etiam in foro ecclie-  
siastico, ipsaque dispositione juris canonici quoque attenta, eod. disc. 37.

Hinc proinde, ob istum adeo proficuum effe-  
ctum, rationabiliter hic usus inolevit, deferendi re-  
medium reintegratorum, ut potè appellabile, & re-  
currendi ad istud retinenda, ut potè exequitivum,  
ac privilegatum, in forma summaria, non autem  
plenaria; Potissimum vero quia (ut infra) eadem Cu-  
ria moderna, Umbrias nimium dilatavit in conce-  
dendo defacili istud remedium, etiam iis, qui fa-  
cto iudicis fuerint eorum possessione spoliati,  
quando illud, nullum, vel notoriè injustum sit, ra-  
tione solius possessionis civilis animo retentæ, quæ  
ad se attrahat naturalem.

Distinguitur autem istud summarium ac privi-  
legiatum

legatum judicium retinendæ, ab altero plenario, ad hunc effectum appellationis, vel processus ordinarii, & exequitivi respectivè; Primo nempe ex ipsius judicii ordine, an scilicet procedatur per sententiam distinctivam, atque [ut in Curia dicimus] per seculam, vel potius per decretum interloquitorum; Ut scilicet primo casu dicitur possessionum ordinarium, & appellabile; In altero autem summarium, & exequitivum; Quamvis etiam in isto adhibitum quoque fuerit monitorium, quod juxta Curie praxim reputatur necessarium, quoties agendo intentetur; Secus autem ubi incideret, ac excipiendo, de his 123. n. 12. & 13. par. 7. rec. Ridolphin. in prax. par. 2. cap. 12. & 94.

Et secundò ubi agatur de possessione, quod explicitam contineat mixturam, & canonizationem petitorii, sive quod eadem mixtura refultet à dependentia, quia scilicet agatur de possessione, quæ pendeat à titulis, seu à negotio principalí, Ottobon. decis. 236. Buratt. & add. decis. 625. & supra discut.

Adhuc tamen quandoque (licet rarius) prædictum judicium reintegrationis in praxi auditur; Et præsertim in causis de partibus, quæ ad Curiam per appellationem devolvuntur, cum juxta quotidiam experientiam, in huiusmodi causis edoccamur, quod extra Curiam, non adeo bene distincta notitia, & praxis habetur huiusmodi materiæ possessionis; Et præsertim circa præfata distinctionem inter manutentionem, & reintegrationem, cum frequenter, ea confusa dignoscatur; Ac etiam circa aliam distinctionem, in eodem genere interdicti retinendæ, inter summarium, & plenarium.

Auditur etenim aliquando dicta mixtura interdictorum, reintegrandæ, & retinendæ, sed cum debito ordine subsidiario, & compatibili, quod scilicet principaliter intentetur magis proficuum remedium retinendæ, sed quoniam dubietas cadere potest super eius competentia, idcirco subsidiariæ, & cum cumulatione compatibili, intentatur etiam alterum reintegrandæ, & quandoque etiam illud adipiscenda cum clausula *quatenus opus sit*, seu alia & quipollenti.

Regulariter etenim, ista interdicta, sunt inter se incompatibilia, seu contradictionia, quoniam illi, qui semel possedit, atque à possessione quomodo cum que cecidit, non competit interdictum adipiscenda, quod supponit adeptiōnem possessionis omnino novæ, Posth. de manut. obser. 57. num. 72. & seqq. Menoch. de adipiscen. rem. 4. num. 178. & seqq. Peutinger. decis. 332. num. 3. Farentina. Primogenitur. 21. Maij 1666. coram Bevilacqua. A deo ut ille, qui istud remedium intentat, fateri dicatur se nunquam possedisse, ac propterea duo resultant effectus, circa alterum magis proficuum remedium manutentionis; Unus scilicet sibi præjudicialis, quod ita sibi precludit viam, ad illud recurrenti; At alter proficuus adversario, quod ita petendo contra eum immisionem, fatetur & agnoscit eum in possessionem, istaque etiam implicita tantum confessio probat illius possessionem, ut propterea sibi manutentio debita sit absque alia justificatione; Quamvis confessio effe qualificata, quia nempe afferetur possessor injus-  
tus, atque intrusus, vel prædio, quoniam adhuc eadem resolut probatio, Posth. de manut. obser. 19. Gregor. & add. decis. 200. Cels. decis. 82. Sive quod effet confessio dubitativa, vel impugnativa, pura cum verbo, ut dicitur, vel ut prætentitur, Peutinger. decis. 277. repetit. dec. 45. par. 10. rec.

Prout etiam in remedio manutentionis est incompatible alterum reintegrationis, ex cuius petitione resultat confessio exclusiva sua possessionis, sine qua manutentio competere non potest, quoniam cum eis qui naturaliter, & de facto possessor non est, illud retinendæ, seu manutentionis remedium concedatur ratione possessionis civilis, quæ animo retineatur, idcirco dum se declarat spoliatum, ita fatetur animo non retinuisse, neque retine-  
re possessionem, Posth. dicta obser. 19. Buratt. & add. dec. 160. dec. 169. apud Posth. de subhaft. Gregor. & add. decis. 555.

Adhuc tamen iste cumulus quandoque est praticabilis, quando scilicet, cum debita cautela id sequatur, quia nempe petatur, ac obtineatur immisione pro confirmatione & corroboracione, seu munimine possessionis, quæ jam obtineatur, Gregor. dicta decis. 555. Ottobon. decis. 121. Buratt. & add. decis. 160. & 269. Posth. de manut. obser. 57. ex num. 82. Sive petatur, ac obtineatur reintegratio possessionis naturalis, quæ de facto fuit spoliatus, ad effectum illam uniens cum civili, quæ animo retineatur, proxi-  
mè supra.

Non videtur tamen in hoc recipiens ille ineptus Pragmaticorum sensus, id scilicet restringendi ad nudam verborum formalitatem, ut quandoque in praxi expertus sum; Sed pro facti qualitate, & circumstantiis, attendenda venit substantia veritatis, aut verisimilis intentio possessionis; Absconum enim videtur, atque manifestum continet iudicium, ut à majori, vel minori periti procuratoris, vel causidici, in concipiendō petitionem, cum una, vel cum altera phrasē, vel formula, regulari debeat animus principalis, inducendo in eo illam retentio-  
nem, quam in animo non habuerit; Sive è conver-  
so illum habendo pro spoliato, qui revera se prota-  
li habere noluerit.

His ergo ita prænotatis; Ad singula hæc reme-  
dia descendendo; Quatenus pertinet ad primum adipiscendæ, sive immisionis; Illud æque intrat in prophanis, ac in spiritualibus.

In spiritualibus scilicet, juxta ea quæ insinuata sunt dicti precedentii, circa immisionem competen-  
tem proviso de beneficio, tam in vim literarum A-  
postolicarum, quam etiam in vim provisionis Ordinarii, vel alterius inferioris collatoris, quoniam etiam pro ista provisione, idem competit remedium proviso, iudicante intrant termini legitimi & non legitimi contradictionis, de proviso ab ordinario dec. 585. par. 5. rec. & de ista materia in beneficialibus tit.  
de benef. dict. 73. & sepia in aliis.

Ac etiam in materia pensionum ecclesiastica-  
rum, idem procedit in casu scilicet regressus vel in-  
gressus ad beneficium juxta modernam formam  
eodem dicti precedentii insinuatam; Vel circa eam im-  
missionem, quæ conceditur pensionario ex prima re-  
servatione, Sive etiam translatario, quoniam licet  
ipse subintraret in universum jus transferentis, ac e-  
tiam in possessionem quoad omnes effectus; Atta-  
men, ex quadam stylo Curia, sibi non conceditur re-  
medium manutentionis, ex possessione auctoris, sed  
illud immisionis, tit. de pension. dict. 61.

Prout ad instar, idem dicendum erit in prælatu-  
ris vel officiis in vim publici instrumenti electionis,  
perfectè exequibilis, vel deputationis, cum simili-  
bus, quibus eadem congruat ratio, dum deputatio  
vicem habet investitura, ut infra.

In prophanis autem, illud plures ac diversas con-  
tinet species; Primo nempe illud, quod in vim  
testa.

testamenti, competit universali hæredi scripto, sive sit in tota hæreditate, sive in eius quota ex dispositione textus. in l. fin. Cod. de edit. Diu. Adrian. toll. tit. de hærede & tit. de fideicommiss. p. sim. Quamvis enim de stricta juris censura, illud competit solum primo, ac directo hæredi; Attamen in praxi, magis recepta est illa opinio, quæ tamen contradictoribus non caret. ut competit etiam obliquo seu mediato, nempe fideicommissario, non curata mediorum pluralitate, dummodo pariter sit universalis in tota vel quota. dicto tit. de fideicommiss. Secùs autem si in certa re, quinimò etiamsi in legitima de jure debita, quamvis, honorabilis institutionis titulus accedit, quoniam ubi, institutionis, vel fideicommissi particularis naturam fortius, verius est, competere alteram speciem immissionis, quæ ut infra legatatio conceditur, non autem istam. ibid. & tit. de legitim. disc. 26.

Altera est species immissionis ex eodem re-  
20 medio dicta legi finali, C. de edit. Diu. Adrian. Sive ad instar, quæ competit ex dispositione inter vi-  
vos, donatario universalis, qui loco hæredis ha-  
betur, sive sit directus & immediatus, sive obli-  
quus & mediatus ut supra; dum etiam pro fidei-  
commissio universalis ordinato inter vivos, idem  
remedium in praxi est receptum. dicto titul. de  
fideicommiss. disc. 106. & in aliis cum sit in praxi quo-  
tidianum.

Idem quoque procedit in feudo, vel in em-  
phyteusi in vim investiturae feudalium, tam in pri-  
mo investito, quam in quocumque alio succe-  
sive per eamdem investituram vocato, quoniam  
feudum ad instar hæreditatis, universitatem  
quoque constituit, tit. de feud. disc. 42. quod em-  
phyteusi etiam congruit, à qua ad feudum ad-  
mitti solet argumentum, tit. de emphyteuf. disc. 25.

Altera est diversa hujus possessorii species,  
quæ competit hæredi pariter universalis, in tota,  
vel in quota, ab intestato, ex illo interdicto quod  
22 appellatur, Quorum bonorum; Atque licet in hac  
specie successionis, non detur hæres obliquus,  
vel mediatus ex judicio testatoris; Datur tamen  
23 ex judicio legis in hærede hæredis; Quod etiam  
verificatur in hærede testamentario qui nullo  
fideicommissi onere sit gravatus, quoniam in  
utroque casu si primus ac directus, testatus vel  
intestatus hæres non valeat, vel negligat hæ-  
reditatis vel aliquorum bonorum possessionem  
adipisci; unum, vel alterum ex dictis remediis  
eius hæredi conceditur. dec. 163. num. 2. par. 13.  
rec.

Tertia est species immissionis, vel possesso-  
rii interdicti adipiscendæ, quæ competit parti-  
culari legatario, vel fideicommissario; Istaque  
est duplex; Una scilicet ex illo interdicto, quod  
dicitur Quorum legatorum; Et altera ex eo quod  
appellatur Salviani, ratione hypothecæ, quam  
lex nova legatario pro legati exequitione con-  
cessit; Atque pariter procedit idem quod supra  
dictum est, ut scilicet tam primo, & immediato,  
quam ulteriori ac mediato concedatur. Merlin. de  
pignor. lib. 3. quest. 14. & lib. quæst. 76. Buratt. & add.  
dec. 257. & 286. tit. de legat. disc. 37. ubi de hypotheca.

Quarta est prædicta possessorii species, quæ  
Salviani dicitur, quæ competit creditori hypothe-  
cario, & non alias cum istius judicii funda-  
menta sint creditum, & hypotheca. Mantic. dec.  
156. Gregor. decif. 67. Dunozett. dec. 69. & p. sim.  
Card. de Luca de judiciis & judicialibus.

Istaque duplex producit remedium; Unum sci-  
cet quod sub actionis hypothecariæ vocabulo  
in jure explicatur, non ita privilegium circa  
procesum exequitivum, & circa appellationis  
suspensivæ rejectionem, cum redoleat speciem  
petitorii. dec. 5. & dec. 119. post Merlin. de pignor. Et  
alterum est prædictum Salviani, quod non con-  
ceditur ad ipsam rem in proprietate vel substanci-  
ta neque dominum seu veram possessionem  
tribuit, dum utrumque remanet penes debitorem,  
vel tertium possessorem, sed solum per  
quamdam speciem tenuta, sive administrationis,  
conceditur immisso, ut fructus nomine posses-  
soris administretur ac percipiatur, perceptos autem  
tanquam mandatarius in rem propriam, sibi ipsi  
applicet, ut de credito ita satisfiat; Ac propterea  
in bonorum locatione, vel administratione, ma-  
jorem non habet potestatem, quam habeat ipse  
possessor. tit. de locato disc. 3.

Quinta est species mixta, quæ conceditur in  
omnibus præmissis casibus, non ex natura, vel  
qualitate tituli, vel actionis, sed ex operatione  
pactorum vel clausularum; Istudque appella-  
tur remedium Associationis, quod conceditur illi,  
qui pactum, vel facultatem habeat explicitam  
capiendi possessionem propria auctoritate; Sive  
sit jure crediti, sive sit jure dominii, vel ex quo-  
cumque alio capite sibi expedit possessionem  
adipisci. Cenc. de cens. quest. 94. Arguell. dec. 75. &  
86. dec. 373. par. 9. rec. & 187. par. 10. Bich. dec. 3. 10.  
late Faring. quest. 175. ex num. 253.

Idemque remedium competit quoque illi,  
pro quo aliquis, se possidere constituerit, sive in  
vim clausulæ constituti, vel præcarli; Multò ve-  
rò magis utriusque, proximè supra.

Ac propterea, in Regno præsertim Neapolitan-  
iano, pro observantia cuiuscumque contractus,  
vel implementi, super quo publicum instru-  
mentum confectum sit, istud remedium rema-  
net connaturale, stante illo commendabili styl-  
lo (quem mirari consuevit, cur Romana Curia  
non introducat ob effectum exequitivum de  
quo infra) in omnibus instrumentis omnia hæc  
adjiciendi, nempe pactum de capiendo propria  
auctoritate, constitutum, & præcarium.

Adeoque iste stylus inolevit, ut quamvis  
Notarius, istas clausulas adjicere negligat, ad-  
huc tamen, tanquam de styllo apponi solitus, cen-  
setur inesse, ut propterea competenter eadem re-  
media, quæ competenter, si adessent. Masull. ad  
Capit. dec. 159. Merlin. L. 1. conty. 35.

In Curia vero constitutum adjici solet in con-  
tractu censuali super fundo censito. Cenc. dicta  
quest. 94.

Idemque stylus adjiciendi constitutum pre-  
carium, præsertim vero posterius quod in ple-  
risque privilegium reputatur, habetur in Bo-  
noniensis Civitate ex illo nimis amplio formula-  
rio. Dunozett. decif. 793. Bich. decif. 629. 403. & 417.

Prout etiam, idem pactum de capiendo pro-  
pria auctoritate ad effectum ejusdem privilegiati  
remedii associationis, per legem subintelligitur,  
favore domini directi pro consolidatione domi-  
nii utilis cum directo, ac unionis possessionis  
naturalis cum civili, quando sit factus casus de-  
volutionis, vel ob solutionem canonum, seu li-  
vellarum. tit. de emphyteuf. pluries dec. 73. & 165.  
par. 10. rec.

Datur etiam de jure communi, quædam spe-  
cies immissionis, creditori chygraphario, qui

T præ-

<sup>34</sup> præmissis remediis est destitutus, quod dicitur, ex primo, & secundo decreto, ratione contumacia debitoris; Verum id propriæ non continet interdictum possessorium, atque in praxi nimum rarum est, ob alia pinguiora remedia. *Fenzon. ad statu. 194. Ridolfin. par. 1. cap. 6. num. 69. & seq.*

Ultra supradictas species possessorii, adipiscendæ, que conceduntur de jure communij; Aliæ pro diversis locorum, vel regionum legibus, vel stylis adsumt species, & præsertim illa <sup>35</sup> nimirum summaria & exequutiva, ac privilegiata tenuta, que conceditur in majoratibus Hispaniarum, ut in fideicommissorum sede advertitur. *tir. de fideicommiss. disc. 13.*

In prefato item Regno Neapolitano, ex illis legibus, prodiit quoddam adipiscendæ remedium, ibi nimirum frequens, contra tertios possidores bonorum hypothecatorum (quatenus tamen hypotheca accedit, & non aliâs) quod *Affidientia*, dicitur, compositum, juxta viorem sententiam, tanquam quid mixtum, ex tribus remediis supra recensitis; Nempe hypothecaria, Salviano, & associatione, adeout dici non mereatur purum possessorium, sed admixtum habere peccitorum, dum conceditur ad effectum vendendi, sive adjudicandi sibi ipsi, prævia aestimatione. *Rovit. pragm. 1. de assident. Barbat. cod. tractat. & paſsim apud Regnicolas.*

Super præmissis autem, hujus possessorii speciebus, diversæ cadunt quæstiones, juxta earam diversitatem, quoniam, in prima, secunda, & tercia specie immissionis, ex remedio *l. finalis Cod.*

<sup>36</sup> *de edit. Div. Adrian. tollend. ac interdicti quorum bonorum & alterius quorum legatorum, ultrâ essentiale requisitum identitatis, quod est omnibus aliis commune; Intrat quoque inspectio legitimæ contradictoris, qua discursu precedenti, in beneficiariis insinuata est, Quinimò Beneficialistæ, ex his speciebus, & præsertim ex prima resultante à præfata leg. fin. C de edit. Div. Adrian. normam acceperunt, quoniam inter contendentes de pari titulo, sive venientes ex eodem fonte, cestant hæc remedia possessoria, & privilegiata, atque procedendum est in judicio ordinario, ex eadem ratione quod unus dicitur alteri legitimus contradictor; Idque præsertim in fideicommissaria materia est frequens; Cumque ibi de hoc puncto pluries actum sit, idcirco ibi videndum erit ut quo magis fieri potest, eorum quæ jam dicta sunt, evitetur repetitio, quæ tamen in ista practica facultate est inevitabilis. tir. de fideicommiss. disc. 197. & seq.*

<sup>37</sup> Item, ubi ille, contra quem istud judicium intentatur, non sit talis, vel legitimæ contradictoris titulus ei congruat, non per hoc tamen aliis exceptionibus esse potest omnino destitutus, cum alias habere valeat exceptions exclusivas juris agentis; Puta ob vitium testamenti, vel investituræ, cuius vigore petatur immisso; unde properea intrat distinctio inter vitium visibile & invisibile, sive inter patens, & latens, ut primo casu dicatur exceptione apta retardare, atque intrat propositio, quod suspicio sufficit, ex iis quæ ad materiam instrumentorum, & scripturarum habentur supra. *supra disc. 26. & seq.* In altero autem procedatur cum eadem regula superioris insinuata in judicio seu processu exequutivo, an scilicet sit clara, vel potius turbida, & altioris indaginis, ut primo casu retardet, in altero autem non. *supra disc. 42.*

Idemque ubi exceptio percutiat inhabilitatem personæ actoris, vel quia ea bene legitimata non sit, vel quia prætendatur in eo incapacitas. *supra disc. 12.*

Sive quod exceptio percutiat bona, quod scilicet spectaret ad alterum, quam ad defunctum ut pro frequentiori contingencia habemus in praxi, circa exceptionem fideicommissi antiquioris, vel investitura feudal, aut emphyteutica. *tir. de fideic. disc. 198. Dunozett. dec. 910. Bich. dec. 480.* Aut quod objiciatur de valida alienatione in causam detractionum legalium, vel accidentalium. *dicto tit. de fideic. disc. 162. & tit. de legitim. & detrac. disc. 25.* Aut quod objiciatur de meliorationis, cum similibus, de quibus in dicta fideicommissaria materia & in altera detractionum. *ibidem.*

Atque respectu interdicti *quorum bonorum*, *ca-  
dit infœctio*, an illud competat contra tertium <sup>41</sup> possessorum, titulo singulari. *Coccin. dec. 2354. Manic. dec. 241. Buratt. dec. 772.* Sive an docere oporteat de dominio ac pertinencia bonorum defunctorum, vel potius toton sufficiat probare, quod bona essent per eum possessa tempore mortis, ut verius pro regula est receptum, tam in isto interdicto, quam in dicto altero remedio *l. fin.* Quoties clarè, & incontinenti non constet de contrario, quod scilicet possesso fuerit alieno nomine; Puta conductionis, vel administratio-  
nis, vel depositi, seu sequestri &c. Sive nomine proprio, sed ex titulo resolutibili per mortem, ideoque sine dubio resoluto. *Dunozett. dec. 709. Buratt. dec. 494. Fusar. quest. 616.*

In casu item refectionis juris possessoris ca-  
dit quæstio, an quilibet possessor, vel detendor de hoc objiciat, tanquam de exceptione exclusiva juris agentis, vel solum de hoc objicere pos-  
<sup>42</sup> sit ille, cuius favore resolutio sequuta sit; adeout possessor non licet dare de jure tertii; Atque super hoc intrat etiam distinctio, an exceptio ju-  
ris tertii sit notoriæ exclusiva juris agentis, vel  
potius è converso habeat aliquem statum impli-  
citum durationis illius juris, quia nempe reflec-  
tio adhuc remaneat in statu eventualitatis, atque  
pendeat à voluntate tertii, qui volens, possit  
non agnoscere; Ut (ex gr.) contingit in ea resolu-  
tione, quæ sequitur ex onere fideicommissi,  
vel alia simili, cum interim hæres gravatus, vel  
eius hæres, aut alter qui ab ea causam habeat re-  
cte continuet. *tir. de fideicommiss. disc. 187. cum seq.*

Hinc sequitur, quod defuper certa & genera-  
lis regula statui non potest, clarusque error est  
cum generalitatibus procedere, sive ad litteram  
attendere doctrinas, & decisiones, quæ percuti-  
ant aliquos casus particulares pro retardationis <sup>44</sup>  
hujus judicij affirmativa, vel negativa, sive pro  
qualitate legitimæ contradictoris, cum totum  
pendeat, à singulorum casuum particularibus  
circumstantiis, ob quas (ut toties advertitur)  
stant bene simul, ut eadem ac individuales ex-  
ceptiones, in uno casu admittantur, & in altero  
rejiciantur; Atque ad id hodie potissimum, ac  
principaliter est reflectendum, cum præsertim  
in Curia, ob tam magnam frequentiam decisio-  
num Rotæ, à quarum studio juvenes incipiunt,  
priusquam terminos necessarios Institutionum  
addiscant, regulæ seu conclusiones, sunt effectæ  
omnibus planæ, ac notoriz, sed magnum in-  
conveniens consistit in incongrua applica-  
tione.

Et

Et præsertim circa verificationem trium vularum requisitorum, ad faciendum aliquem legitimum contradictem, ratione fideicommissi vel similis juris; Quod scilicet istud sit clarum; Quod certum sit nullas competere detractiones Et quod possesso non sit vitiosa; Quoniam super verificatione primi requisiti, commendabile quidem est, ut rigorose procedatur, cum percutiat substantiam negotii principali; Super verificatione autem secundi detractionum, pariter circumspete, sed non adeo; Sed super tertio, solum insipi debet finis, ob quem ita statutum est; Sive principaliter attendi debet ratio legis, non autem sola litera, vel formalitas, pro inanibus circuitibus, atque per quamdam speciem judicandi, juxta ponderationes de quibus in dicta fideicommissaria materia. dicto tit. de fideicommiss. disc. 197. & seq. Ideoque semper erroneum est, procedere cum generalitatibus, vel cum doctrinis, & auctoritatis in abstracto, quoniam (ut præmisum est) penè omnes questiones forenses hodie sunt potius facti, & applicationis, quam juris, cuius regulæ, vel propositiones in magnis præsertim Civitatibus, & Tribunalibus redditæ sunt notoria; Ac propterea in Judice (cum presupposito sufficientis literaturæ, & integritatis) magis desideranda est excellentia in iudicio adequato, quam in ingenio, magisque desiderandum est, ut ille sit bonus Factista, quam excellens Iurista, dummodo sufficientem habeat Iuris peritiam.

In alia vero specie hujus possessoriæ adipiscendæ, ex interdicto salviani ratione hypothecæ; Exceptiones percutere solent, in primis existentiam crediti, sine quo illud non competit. Gregor. decif. 67. & pafim. Istoque justificato, percutere solent existentiam, vel competentiam hypothecæ, quæ pariter est necessaria, & sine qua istud iudicium non intrat. ut supra. Id autem disputari solet, quando illa non legatur explicita in documento, cuius vigore agatur sed prætendatur implicitè desumti, ex pactis, vel clausulis, ut est illa hypotheca, quæ implicitè desumitur ex obligatione in forma Cameræ. Bich. decif. 321. & 356. Orthob. dec. 156. & 173. Zuch. de oblig. cam. quest. 31. & pafim. Sive quod desumi prætentatur ex sola dispositione legis, ratione legalis administrationis, vel ratione doli, ut præsertim frequentior praxis docet hujusmodi questiones, in illa hypotheca, quæ prætenditur in bonis hæreditis gravati fideicommissi, ob alienationes. it. de credito discurs. 36. cum similibus.

Vel quod, non negata hypotheca, allegetur inefficacia, ob ejus invaliditatem ex inhabilitate personæ, quæ illam adjicit, se obligando sine certis solemnitatibus; Vel ob ejus resolutionem, ob cestatum jus illius, qui eam adjicit, ut pro frequentiori contingentia habemus in ea resolutione, de qua opponatur ratione fideicommissi, vel investitura, vel similis causa resolutivæ.

Sive quod, non negata hypotheca, ejusque duratione, negetur tamen effectus, adversus possesseorem, ratione alterius ejus hypothecæ anterioris, contra quam istud interdictum non competit. Buratt. decif. 844. Dunozett. decif. 815. decif. 60. post Merlin. de pignor. Vel quod negetur hypotheca ratione incapacitatis bonorum, quia sine certa solemnitate obligari non potuerint; Ut contingit in feudalibus, vel emphyteuticis, & jurisdictionibus, ac similibus, in quibus li-

Card. de Luce de iudicis & judicialibus.

centia, vel assensus alterius desideretur. tit. de credito discurs. 13. & 151. titul. de Emphyteus. disc. 44. & 58. & alibi.

Aut quod incapacitas prætendatur ex parte creditoris, qui tanquam forensis, vel ex alio accidenti, sit incapax acquisitionis ipsorum bonorum in dominio, unde propterea intret quæstio, an sit etiam incapax acquisitionis hypothecæ pro istius remedii exercitio; Ut in iudicis quandoque disputatum fuit. dicto discurs. 151. de credito.

Sive an & quando prohibitio alienationis extendatur ad istam prohibitionem hypothecæ, quod sub nimia quæstione nostra ætate fuit occasione bonorum jurisdictionalium, ut in debiti, & crediti sede advertitur. dicto disc. 13. & 151. de credito.

Aut, an posita etiam prohibitione hypothecæ, adhuc tamen ista sit verificabilis, pro istius interdicti competency, & exercitio, aliisque effectibus in commoditate, quæ considerari solet, tanquam distincta à substantia ipsius rei prohibitæ; Et quomodo illa duret, præsertim mutata persona, vel etiam super melioramentis, cum similibus, tit. de emphyt. disc. 44. & tit. de feud. disc. 61.

Super his autem, ac similibus, utique certa, & generalis regula statui non potest, prouinde que intrat idem supra insinuatus error, procedendi cum generalitatibus, cum revera totum pendeat à singulorum casuum qualitate, & circumstantiis.

Illa vero generalis regula desuper cadit, ut scilicet, in isto iudicio, tanquam possessorio, & privilegiato, intret quoque eadem distinctio, inter exceptiones claras, & incontinenti probatas, vel turbidas, & altioris indaginis, ut priores admittantur, posteriores autem non; Ut præsertim in exceptione fideicommissi, vel simili habemus. tit. de fideicommiss. disc. 180.

Verum circa istam generalitatem quoque est insistendum, non quidem circa ejus varietatem in genere, & in abstracto, cum ea vera sit; Sed circa ejus congruam applicationem, quoniam intelligenda venit, quando actio, ex parte Actoris, jam bene fundata sit, turbidas autem sit in exceptione, per quam actio elidi prætendatur; Puta, si non dubitetur de hypothecæ existentia vel adjectione in bonis talis persona, minusque dubitetur in facto de verificatione primi, & secundi extremiti; Quod scilicet ea bona possessa fuerint per illum, qui hypothecam adjectit de illo tempore, vel postea, quod dicitur primum extrellum, illudque bene & concludenter justificandum est tanquam fundamentum iudicij. Merlin. de pignor. lib. 5. quest. 77. decif. 63. post eundem, decif. 220. par. 5. rec. Rovit. pragm. 1. de absentia. Et quod eadem bona, nunc possideantur per eum, contra quem iudicium institutum est; Istudque dicitur secundum extrellum, quod minor, ac leviori probatione contentatur, etiam illa, quæ resultat à sola sustentatione litis. Buratt. & add. dec. 693. & 728. dec. 100. par. 7. rec. Bich. dec. 315.

Sed quod Actoris intentione, jam bene fundata, ad eam elidendam, deducatur exceptio fideicommissi, vel investitura, sive crediti anterioris, aut incapacitatis personæ, vel bonorum, cū similibus; Quoniam, si istæ exceptiones sunt turbidae, & altioris indaginis, tunc rejiciuntur

ad petitorum, & non admittuntur in hoc iudicio: ex regula quod actio clara, exceptio turbida; Secus autem si turbiditas, non consistat in exceptione, sed in ipsa actione, adeo ut exceptiones, Rei, & possessoris, non tendant ad elidendam actionem, jam bene fundata, sed ad illam in turbidam, sive ad offuscandam, vel impedientiam probationem, ut ipsa actio non oriatur; Ut praesertim contingere solet in primo extremo identitatis, vel capacitatibus bonorum, sive in altero legitimatis personæ, quoniam in pari causa turbiditas, ista obstat debet Aetori, potiores vero partes sunt Rei, & possessoris, cui sufficit vincere per non jus, ut supra agendo de Reo, & de Aetore advertitur, ac etiam alibi plures, *supra disc. 2.*

Vel quod, bene fundata actione, æquè bene fundata etiam sit exceptio ad quam elidendum, aliquam Aetor deducat replicationem, super qua turbiditas cadat, ideoque alia intrat propositione, exceptio clara, & replicatio turbida, quoniam in his casibus turbiditas potius nocet quam propositum Aetori; Idque generaliter in omni specie possessorii procedit, vel alterius iudicij summarii, ac privilegiati, cum eadem sit ratio.

Super verificatione item dicti primi extremi, quod magis exactam, & concludentem exigit probationem, cadere solet quæstio, an Aetori incumbat onus probationis dominii, in ejus debitore, qui hypothecam adjectit, vel potius sufficiat probare solam possessionem; Istaque postea opinio prior, magisque recepta est, cum ex possessione inferatur ad præsumptam probationem dominii, quoniam possessor præsumit dominus, donec non doceatur de contrario. *dicta decis. 220. par. 5. rec. Rovit. dicta pragm. 1. de aſſiſtētē.*

*dicta* generalitates, quoque percutiunt alias speciem hujus generici interdicti possessorii adipiscendæ, quod associationis dicitur, ut supra an scilicet constitutum vel pactum de capiendo quorum vigore illud competit, adiectum sit, necne ab eo, qui adjiciendi facultatem habet; Et an possessor ab eo causam habeat, vel potius ex alio jure vel titulo independenti possideat, eodem modo, quo de hypotheca est dictum.

Sive posita dicta potestate, ac dependentia respectivæ, intrare solet quæstio, & præsertim circa constitutum, super ejus efficacia, & operatione; Vel scilicet ratione incertitudinis, non quidem ratione illius incertitudinis, quæ proveniat à generalitate honorum, quoniam receptum est, istam non obstat, dum in substantia adest certitudo: quamvis nobis ignota sit ab initio, sed ratione incertitudinis, certa rei, quia nempe adjiciatur constitutum, in decem, vel viginti jugeribus terræ alicujus prædii, quod sit longe majoris quantitatis, cum similibus, Duran. *decis. 49. dec. 373. par. 9. rec. dec. 105. post Merlin. de pignor. tit. de donat. disc. 14.*

Aut quod prætentatur infectio, ab infectione, ac vitio ipsius contractus principalis, ac propterera ista tanquam clausula consequentiva corrutat. *dicto disc. 14. de donat. Buratt. & add. dec. 220. Duran. decis. 155.* Vel quod expiraverit in primo, ideoque non remaneat amplius operativum in aliis, qui ad eamdem dispositionem successivè vocati sint. *Dunozett. decis. 993. tit. de fideicommiss. disc. 106.*

Sive quod dubium sit, an ejus casus factus es-

set, nec ne, ut contingit in illa associatione, quæ à domino directo petatur ex capite devolutionis, cum sola turbiditas sufficiat ad illum excludendum, ut in emphyteutica materia præsertim habetur. *tit. de emphyteus. disc. 7.*

Apud antiquiores duæ habentur nimium controversæ quæstiones, qua hodie videntur planæ; Primo nempè, an istud iudicium exigat citationem possessoris; Atque apud ipsos antiquiores, magis recepta erat negativa, cum revera iste non sit actus judicialis, sed potius extrajudicialis concessionis familia pro simplici associatione, & assistente, ad apprehendendam illam possessionem, quæ jure suo apprehendendi potest, ideoque potius damnatur forma iudicij, adeo illa praejudicialis reputetur, atque privilegia hujus remedii cessare faciat. *Cenc. de cens. quest. 94. Magnon. de Lucen. 87. Barbat. pragm. 1. de aſſiſtētē. gl. 6.* Apud modernos autem, magis recepta est diversa opinio, quam ubique praxis servat, ut adhuc ei debet citatio possessoris. *decis. 73. par. 10. rec. Buratt. decis. 160. Rovit. pragm. 1. de conservator. Gait. de credit. cap. 4. questio 7. a num. 834. & questio 11. a num. 2089.*

Altera est quæstio, an istud remedium competat, atque si exercibile contra tertium possessorum titulo singulari, quævis causam habeat ab eo, qui constitutum adjecit, vel facultatem de capiendo dedit; Atque pariter apud antiquiores, magis recepta erat negativa; Apud modernos autem, è converso, magis recepta est affirmativa, quæ præsertim in Curia, in praxi servatur, ut etiam detur contra tertium, quoniam bona affecta sint constituto, vel pacto de capiendo, quod adjici potuerit per eum, qui unum, vel alterum, vel utrumque adjecit. *decis. 187. par. 10. rec. decis. 149. & 150. post Cenc. de cens. Farmac. quest. 175. ex num. 253.*

Quoverò ad aliud interdictum possessorium recuperandæ; Istud, juxta probabilem sententiam (à contradictoribus tamen pro Juristarum confuetudine non immunem), est remedium proditum, potius à jure canonico quam à civili, quamvis ubique, in foro etiam sæculari, 58. fixe (ut nostri dicunt) etiam in terris imperii sit receptum. *Capyc. latr. consult. 88. nu. 6. add. ad vesp. lib. 7. cap. 3. num. 40.* Atque non inutilis à plerisque reputatur hæc inspectio, an unius, vel alterius Iuris inventum sit, ad effectum inspectiendi, an juxta unius, vel alterius Iuris dispositionem regulari debeat; Ac propterea, retenta dicta opinione, quod sit potius proditum à jure canonico, quodque, cum istius dispositione regulandum sit, exinde de stricta censura resulfare deberet, quod etiam in eo laicali foro, in quo, in propositione appellacionis, vivitur cum dispositione Iuris civilis, quod eam suspensivam denegat, etiam in illo adipiscenda, quod in Statu ecclesiastico induxit, jus civile restituendo, Constitutio Agidiana ex in insinuatis supra in rubrica appellacionis. *supra disc. 37.* Adhuc tamen istud interdictum reintegranda, deberet esse appellabile, juxta generalem regulam Iuris canonici, quæ in omni possessorio procedit, ut ibidem insinuatur.

Et tamen in praxi, constitui non videtur differentia, inter illud adipiscendæ, & istud recuperandæ, in iis locis vel Tribunalibus, in quibus cum dispositione Iuris civilis, vel cum præfata Agidiana Constitutione proceditur, quoniam revera ista materia appellacionis, ad quosdam

<sup>60</sup> dam styllos potius redacta videtur, seu ab eis pendet, magis quam à rigorosis principiis juris, ut infra occasione interdicti retinendæ, vel etiam illius adipiscendæ, quod associationis dicitur in hoc proposito appellationis advertitur.

Opportunum autem, imò necessarium fuit, istud adhibere, sive introducere remedium, tanquam quid medium, inter duo extrema, dum alias indebet spoliato, nullum à lege civili remedium summarium & privilegium proditum videtur, ac propterea oportebat recurrere ad præsidium judicij ordinarii; Antiquiores etenim non adeo acuerunt ingenium, ut commendabilius fecerunt moderni, adhibendi scilicet, etiam interdictum retinendæ in eo, qui, inspecta naturali veritate, revera de facto non sit possessor, cui propterea congruere non videatur iste terminus retentionis, qui juxta grammaticalem sensum, significat confirmationem, vel canonizationem ejus, quod jam de facto obtineatur, dum retinere non possumus id, quod revera non habemus, ideoque id potius assequi, vel adipisci, sive recuperari, quam retineri dicitur, istum terminum retentionis ita adhibend impræcipi, vel intellectualiter, ex quadam fictione legis, sive ex quadam metaphysica, quæ contraria est naturali veritati, seu facto præexistenti, quod scilicet ob quandam factam, vel intellectualem possessionem, quam animo retineri lex fngit, & quæ propterea (ad differentiam naturalis, & veræ) civilis appellatur, verificabilis remaneat dictus terminus retentionis.

Priusquam etenim ista, commendabilius quidem, sed metaphysica fictio introduceretur, ille qui cum violentia vera, vel interpretativa, ejus possessione spoliabatur, prompto, ac summario remedio destitutus erat, dum non poterat confugere ad illud retinendæ, quod supponit actuali-  
lem detentionem, ac propterea non competit nisi possidenti, neque datur sine possessione. Royas. decif. 412. Othob. decif. 158. decif. 290. par. 7. rec. Minusque ad alterum adipiscendæ, ex superius insinuata regula, quod istud conceditur illi, qui nunquam possedit, ideoque contendat de adēptione omnino novæ possessionis, non autem illi, qui semel haberuit illius rei possessionem, quam amiserit, atque ab ea, sive ex facto proprio, sive ex alieno cediderit. *ut supra.*

Verum, postquam inolevit usus verificandi retentionem, etiam sine possessione vera, & naturali, ex dicta legis fictione, quodque apud eosdem modernos, illa recepta est formalitas, superius quoque insinuata, admittendi scilicet appellationem suspensivam in hoc interdicto recuperandæ, non autem in altero retinendæ; Merito istud à præxi exculasse videtur agendo dum illi, qui agendo cupiant prioris status, vel possessionis reintroductionem obtainere, ad præfatum aliud magis proficuum remedium, prudentius recurrent, eo quia manifesta esset ineptia, ex duobus remedis, negligere brevius, ac promptius, magisq; exequitivum & eligere alterum longius quod speciem petitorii redolere videtur, cu ne cessitate expectandi finem, per tres conformes.

Solumque iste terminus spoliæ, juxta modernam praxim Curiæ, frequens in foro esse videtur, excipiendo, atque per viam objecti, ad repellendum scilicet collitigantem, vel æmulum ab ingressu, vel à progressu judicii, tanquam spoliatorem, donec istud crimen purgaverit,

*Card. de Luca de judicis & judicialibus.*

juxta ea quæ supra in hujus objecti particulari Rubrica habentur. *supradic. 20.*

Adhuc tamen, eadem moderna præxi reten-  
tæ; Quandoque ad istud remedium convolare oportet, eo quia, ob facti circumstantias, dene-  
gandum veniat alterum pinguius manutentio-  
nis; Quamvis etenim in aliquibus parifcentur,  
atque pari passu ambulent; In eo præsertim, qui  
facto proprio, atque ex contractu, vel consensu,  
quamvis invalido, vel alias impugnabili, à pos-  
sessione cadat; Quoties non sit nullitas ex defe-  
ctu consensu, quæ consideratur in carcero, vel  
in pupillo, sive in Ecclesia, vel in alio corpore  
inanimator, ex juris regula, quod erit ex actu  
nullo amittitur possesso. *Gregor. & add. dec. 194.*  
*Buratt. dec. 136. decif. 60. par. 7. rec. decif. 200. par. 5.*  
rec. Dum idem parifcenter procedit tam pro  
denegatione unius, quam alterius remedii, & è  
converso, quando talis nullitas, ex defectu con-  
sentis accedit, adeo ut hujus regulæ limitatione  
inducat, illa æquè procedat, ad effectum unius,  
ac alterius remedii, ac propterea expediat ut su-  
pra, potius illud manutentionis adhibere; Atta-  
men datur casus, in quibus istud denegari  
debeat, unde propterea ad illud convolare o-  
porteat.

Puta quia, juxta superius insinuata, possessor  
se declaraverit habitum pro spoliato, unde  
propterea, ex contraria animi declaratione, tol-  
latur illa facta, seu civilis possesso, quam etiam  
in spoliato naturaliter, & de facto animo retine-  
ri, lex ut supra præsumit, cum tunc, nullus rema-  
neat prætextus, cui inniti valeat concessio dicti  
remedii retinendæ, ideoque oportet ad istud re-  
cuperanda convolare.

Sive quia, ex facto idem resultaverit effectus  
cessationis animi, quia nempe, in rebus corpora-  
libus, possessor, sciens rem ab alio occupatam  
esse, id per aliquid tempus passus sit; Cum tunc  
etiam non expectato decennio, breve tempus ad  
id sufficiens reputetur. *Buratt. & add. decif. 604. &*  
*730. Royas decif. 457. Cavaler. decif. 655.* Sive quod  
non accende justificatione hujus scientiæ, &  
patientiæ, accedit silentium decennale, per quod  
lex oblivionem præsumit, ac animi desertionem  
quoties facti circumstantiæ contrariam non in-  
ducant probationem, etiam administrativam,  
istamque legis præsumptionem tollant. *Buratt.*  
*& add. dicta decif. 604. decif. 78. par. 7. rec. decif. 191.*  
*par. 10.* Isto enim, vel alio simili casu, ad aliud  
reintegrationis remedium convolare oportet,  
dum illud non desiderat requisitum dictæ reten-  
tionis, saltem animo, neque subjetat insinuato  
præiudicio, quod resultat etiam à brevi patienti-  
a, sive certius ab illa longi temporis.

Siquidem plurimum sententia est, ut istud re-  
medium sit perpetuum, nullique præscriptioni  
subjaceat, quamvis longissimi temporis. *Menoch.*  
*cons. 1050. & alibi referuntur apud Seraphin. dec. 1360.*  
Alii verò, qui sequuntur contrariam sententiam,  
quæ apud modernos, & præsertim in Curia, ma-  
gis recepta est, ob decisionem, quæ ex Pontifi-  
cio præcepto, initio currentis sæculi prodit, in  
ista questione, quæ ex magis involutis reputa-  
batur, admittunt solum præscriptionem tempo-  
ris longissimi ad minus. *Seraphin. dicta decif. 1360.*  
*decif. 535. & 547 par. 4. rec. tom. 3. Capyc. Latv. con-*  
*sult. 88. decif. 392. num. 15. par. 12. rec. tit. de alienat.*  
*& contract. discurs. 14.* Ac propterea, ista etiam  
posteriori opinione recta, quæ spoliatori ma-

gis proficua est, adhuc, expedit istud habere remedium subsidiarium longioris durationis; Quamvis pro Juristarum formalitatibus, in illis locis, vel Tribunalibus, in quibus, cum dispositione Iuris Canonici proceditur, illud præjudicium pati oporteat prosequi istud remedium per tres conformes, tanquam per speciem judicii ordinarii; Itaque est casus, in quo illud pro Curia præxi adhibeatur.

Hinc proinde, ut supra etiam advertitur, eadem praxis recepit, cumulandi hac duo temedia, alternativæ, vel subsidiariæ; Principaliter scilicet, intentando illud pinguius manutentionis, subsidiarie autem, vel alternativæ cumulando istud reintegrationis, ut docente causa progressu tales circumstantias, quæ suadeant denegationem prioris remedii, ita judicium non remaneat inane, sed alterius concessionis aditus remaneat.

Pro eisdem formalitatibus, istud reintegrationis remedium adhiberi solet, adversus supræ enunciatam speciem possessori adipiscendæ, quod in interdicto salviani, ratione hypothecæ concessum fuerit creditori, ad bona hypothecata, ad effectum sibi satisfaciendi ex fructibus, quoniam, satisfactione sequuta, creditor qui immisus est, tenuerit restituere bona, tanquam ex cessante causa, atque non restituendo, implicitum spoliu committere dicitur, unde propterea prior possessor est reintegrandus. Merlin. de pignor. lib. 5. quæst. 77. decisi. 5. post eundem Gregor. & add. decisi. 254.

Bene verum, quod non videtur, quæ necessitas urgeat, præcisè convolandi ad istud remedium minus proficuum, ob dictum inconveniens appellabilitatis in iis locis, & Tribunalibus, in quibus, cum dispositione Iuris canonici, ut supra, procedatur, cùm æque bene, alterum pinguius remedium manutentionis, concedendum videatur; Quinimò facilius, quam in casu, in quo per subhaftationem, vel per alterum factum iudicis, quod nullum, vel notoriè injustum dicatur, possesso verè amissa sit; Ita enim casus est fortior, quoniam (ut supra advertitur) ista immisio in salviano, quæ creditori conceditur, non aufert possessionem, nedum civilem, sed neque naturalem, quæad huc remanet penes priorem possessorum, dum creditori conceditur quædam simplex tenuta, seu detentatio, jure administrationis potius, quam jure propriæ possessionis, ad certum effectum. *Supra num. 27.* Ideoque isto cessato, non videtur quid prohibeat, istud remedium adhiberi posse, dum facilius isto casu, quam in altero ut supra, illud intrare debet; Et per consequens, ineptis formalitatibus nullum habentis rationis fomentum, ista praxis referenda videtur, quoniam probabilius idem remedium manutentionis practicandum videtur.

Ubi etenim intret dubietas sequuti effectus, & super quo adeo frequenter in praxi audiuntur quæstiones, super redditione rationum fructuum perceptorum, vel eorum, qui culposè percepti non sint, quos imputare quoque teneri prætendatur, atque super validitate notularum, & anjuramentum præcisè continere debeant; Et super quibus, ac similibus, cum consuetis frigiditatibus, magna habentur quæstiones, atque longæ, involutæque lites sustinentur. *It. de credito decisi. 133. & 134.* Tunc æquè resultat impedimentum, pro uno, ac pro altero remedio.

Demum quoad tertium interdictum retinendæ, quod esse pinguius plures animadversum est, ac propterea in foro frequentius; Illud in plerisque casibus, sub disputationis trutina cedere solet; Potissimum autem, quando plures æquè contendant de eadem naturali possessione de facto, in qua quilibet, pro ejus viribus, se conforvere studeat, unde propterea rixæ, & inconvenientia resultare possunt, ac solent, dum eadem possessione unius rei, personarum pluralitatem non admittit, neque penes duos in solidum eodem respectu ea esse potest, secus autem pro respectu diversitate; unde propterea manat recepta conclusio, quod possessione tertii, ab alio tertio est allegabilis, tanquam certò exclusiva possessionis illius, qui se possessorum faciat, vel prætendarat. *Gregor. decisi. 14. 138. & 268. add. ad Buratt. dec. 67.*

Isto enim casu congruit, ut ad tollendas rixas, & inconvenientias, iudex ejus interponat auctoritatem, atque prævia celeri, & summaria cognitione utriusque possessionis, & quænam effet anterior, vel magis legitima, istam provisinaliter, atque interim confoveat, donec cum meliori causæ cognitione, in petitorio, vel in possessione plenario decidatur, ad quem ex contendentibus potius res controversa in dominio, vel in possessione pertineat; Itaque casus verè & proprie, est ille, in quo attentis veris juris principiis, verificatur istud manutentionis remedium, quod summarissimum dicitur, ac propterea privilegium in pluribus reputatur plusquam sint alia interdicta possessoria, atque verificatur vulgare Practicorum dicterium, quod hodie mihi, & cras tibi.

Istudque judicium, attenta etiam dispositione Iuris canonici non admittit appellationem suspensivam ut *lupa*; Nec non præcisè obligat Iudicem, ad illud prius terminandum, quoties ille qui se possessorum anteriorem prætendit, suspensus petitorio, ac etiam possessione plenario, ita instet, atque protestetur, a deoutalias nulliter procedere dicatur; Quoties Principis auctoritas, vel incertudo, seu turbiditas possessionis tanquam per speciem limitationis regulæ, non tribuat facultatem cumulandi quoque petitionis.

Ac etiam, præ ceteris, ut in hoc judicio, tanquam omnino summario in superlativo, admittantur probationes, etiam imperfectæ, & quandoque per unicum testem aliquibus administratis suffultum, neque admittantur exceptions contra personas testimoniis, quoties omnino claræ, & notoriæ non sint. *Post de manut. observ. 38. add. ad dec. 60. 5. par. 5. rec. add. ad Buratt. dec. 375.*

Ista etenim ac similia privilegia, illam habent congruam rationem, quod istud judicium dici meretur provisionale, quod indigeat prompto ac celeri remedio, per quod formidatis rixis vel scandalis occurrit, & ne vulgare verificetur dicterium, quod dum Romæ consulitur. Seguntur expugnatur, ideoque merito Hispani, & alii, illud explicant, cum termino, seu vocabulo *interim*, quoniam verè, & proprie, iste est ejus casus; Enque fecluso, atque ista ratione cessante, adeo ut agatur de illo judicio manutentionis, quod datur, in aliis casibus de quibus infra, cum vera judicij formalitate, cum qua peragitur, aliud remedium reintegrationis, tunc nulla quidem subesse videtur ratio differentiæ, cur istud manu-

manutentionis, non debeat esse appellabile, & alterum reintegrationis debeat esse tale; Ideoque, vel utrumque appellabile, vel utrumque exequitivum, esse deberet.

Fortius vero, de stricta juris censura, praefata privilegia, & praeferit illud processus exequitivi, cum denegatione appellationis, intrare non deberent, in aliis casibus de quibus infra, in quibus etiam istud remedium practicari solet, ratione scilicet solius civilis possessionis animo retentæ, adeout revera, atque spectata veritate naturali dicatur potius reintegratio, quam retentio; Puta, ubi possessor cedicerit a possessione factio proprio invalido, ex ea nullitate, qua dictatur ex defectu consensus, adeout non caufet amissionem possessionis civilis; Ut contingit in illis honorum vel jurium alienationibus, vel dimissionibus, quia sicut per injuste carceratum, ut supra; Cum etenim id procedat, quatenus carceratio sit injusta, & non alijs, ut in sua sede advertitur, tit. de alienat. disc. 41. Exinde resultat, ut accedere debeat formalis cognitionis causa, super hujusmodi justitia, vel injustitia; Et per consequens, adaptari non videtur ea ratio, cui praefata hujus summarissimi judicij privilegia innixa sunt; Quod scilicet, in eo non queratur de justitia, vel injustitia possessionis, sed attendatur nudum illius factum, reservata cognitione justitia vel injustitia ad peccatorum, vel ad possessorum plenarium. decif. 6. par. 12. rec. Buratt. & add. decif. 144. & 360. Posth. de manut. obser. 42.

Ac etiam, ut in hoc facto, quod concurrat hincidere, attendatur ordo temporis, sive anterioritatis, ut scilicet possessio anterior debeat manuteneri, ac præferri posteriori, quæ præsumitur, seu censetur clandestina, quamvis ista esset titulata, illa vero nullam haberet titulum justificationem, dum haec non attenduntur in isto celeri, ac summarissimo judicio, quod nullam admittit causæ cognitionem, sed contentatur nudo facto per quandam speciem extrajudicialis provisionis; Etiam si sit anterioritas permomentum temporis; Imò etiam si sit anterioritas a legi præsumpta ob expressionem horæ in duabus actibus eodem die sequutis. Posth. de manut. obser. 71. Gregor. & add. dec. 40. Buratt. & add. decif. 67. & 68. Peutinger. decif. 384.

Igitur id convenit dicto primo casui, non autem huic, & similibus casibus ut infra, in quibus intret dicta formalis, inspectio justitia vel injustitia carcerationis, cum formalis discussione processus. & auctorum, quorum vigore, illa sequuta sit in forma judicij, & de mandato Iudicis competentis, juxta casus de quibus agitur in dicta sua sede. tit. de alienat. disc. 41. Adeout non agatur de carceratione, omnino tyranica ex facto notorio injusto, & illico.

Item fortius, in altero casu, in quo manutentio concedatur adversus factum Iudicis, quo mediante per sententiam exequitioni demandata, vel per subhastationem, ille privatus fuerit, unde præterea, juris regula æquè excludit hoc remedium, ac alterum reintegrationis, quoniam in dubio factum judicis præsumitur justum, neque illi, qui per tale factum, sua possessione privatus est, competit hoc remedium, quod potius concedendum est alteri, qui ex facto Iudicis possideat. l. justè possidet ff. de acquir. poss. Posth. de manut. obser. 12. dec. 67. par. 10. rec. dec. 174. par. 11.

Et quamvis Romana Curia, à moderno tempore, forsan currentis saeculi, ex superiori alligata ratione, neglecto altero remedio reintegrationis, quod in sensu antiquiorum, in casu nullitatis, vel notorio justitia erat in usu, admittat etiam istud manutentionis, ratione dictæ civilis possessionis animo retentæ, quasi quod Iudex, nulliter, vel injuste procedit, prædonis, ac spoliatoris partes potius, quam Iudicis, ita gerere dicitur; Atque nil forte in Curia frequentius audiatur. Buratt. decif. 169. 185. & 375. decif. 314. & 352. par. 10. 381. 388. & 322. par. 12. in quibus etiam exequitio approbata sit per Signaturam, Posth. de manut. obser. 12. Attamen id procedit, quatenus nullitas effet omnino clara, vel injustitia adeo notoria, & evidens, quod nullo possit velamine offuscar, unde propterea nullam exigetur causa cognitionem, sed nullitatæ equiparetur, dum pro injustitia ordinaria, & disputabili, proditum est alterum remedium ordinarium appellationis, in cuius gradu intrat rectificatio, vel retractatio, non autem istud remedium extraordinarium. Cavaler. decif. 337. & 470. Buratt. & add. decif. 158. decif. 9. apud Posth. de manut. dec. 67. par. 10. rec. 43. 2. par. 13. & sapient. Igitur nullatenus intrat ratio, cui praefata privilegia innixa sunt, dum formalis causa cognitionis, intrat super hac specie injustitia, an si notoria vel non notoria; Adeout quandoque praxis doceat in Rota, aliquaque Tribunalibus aliquam variationem, quod scilicet prodeant resolutiones pro validitate, & justitia gestorum, sive proposita causa, ob difficultates, nulla capiatur resolutio, sed referatur, ut vide ri debeat de bono jure; Et tamen quod postea, recedendo à decisio, aut prævia formalis disputatione boni juris juris, prodeant resolutiones ad favorem prioris possessoris, qui factio Iudicis expulsus fuerit.

Incongruum enim prorsus est, ut istud judicium dici debeat ita summarissimum ac privilegium, ex ea nuda formalitate, quod concedatur per decretem interloquitorum; secus autem si obtineatur per sententiam diffinitivam, quasi quod, major vel minor advertentia Causidici, in tenendo, potius unam viam, quam alteram, immutare debeat substantiam vel naturam judicij; Sive quod, eadem immutatio substantiae, vel naturæ, proveniat à nuda formalitate verbis, quod per Causidicum adhibitum sit, quod scilicet si adhuc beat verbum manutentionis, dicatur judicium exequitivum, ac privilegium, si vero adhuc beat alterum reintegrationis, dicendum veniat ordinarium, & appellabile, terminandum per tres conformes; Id etenim convincit manifestas ineptias, ac frigiditates Practicorum, ita procedendo cum nudis formalitatibus verbis, nullis, rationis, vel discursus adhibitis partibus, sed quia sic reperitur scriptum, referendo ratiociniis, ac præelectionibus, hujusmodi ponderationes, & distinctiones, eaque non laudando.

Non quidem, ut genium cupiat appellabilitatem, atque litium protractiones, cum potius illud sit in oppositum de directo, ut scilicet quo magis fieri potest, hujusmodi formalitates relevantur (quod tamen humana malitia, vel imbecillitas non concedit;) Sed, ut utrumque remedium, pariformiter tractari debeat eo modo quo tractatur in illis Tribunalibus saecularibus extra Statum ecclesiasticum, in quibus in hac mate-

## DE IUDICIIS

224

1a, proceditur cum dispositione Juris civilis; Quinimò in ipsiusmet individuis Curiæ Tribunalibus, in illis causis, in quibus cessante mixtura personarum, vel bonorum ecclesiasticorum, proceditur cum eadem dispositione Juris civilis, in vim Constitutionis Aegidianaæ.

Et circa quam, ut etiam in proposito alterius interdicti adipiscenda, advertitur supra in rubrica appellations. *supra disc. 37.* eadem in dies practicantur irrationalibes, ac nauseativa formalitates, ratione alicujus mixture; Et prælesttim illius, quod provenit à dominio directo alicujus Ecclesiæ, absque eo quod ista sit in causa, nullumque penitus habeat interest, sed agatur inter laicos hincinde, quo nil irrationalius; sive ob aliam maiorem irrationalitatem, quod ageretur de bonis, quæ fuerint clericij jam defuncti, super cuius successione, questio sit inter laicos hinc inde, quasi quo bona retineant privilegium personæ jam annihilatae, ut etiam in materia successionis advertitur, ac in altera jurisdictionis occasione competentiæ fori, vel comprehensionis bonorum sub legibus & Statutis laicibus. *tit. de juri d. disc. 58 & 94. tit. de success. d. 6.*

Quinimò frequenter auditur ineptia major, quod scilicet; Vel ad effectum incompetentiæ fori laicalis. Vel ad effectum exemptionis à prædicta Aegidiana Constitutione, prætenditur attendi debere, mediatam, ac remotam qualitatem defuncti possessoris, quia nempe, questio sit super pertinencia fideicommissi, quod ab antiquo ordinatum sit per aliquam personam ecclesiasticam, postquam bona transierunt per plures manus, pluraque media personarum secularium; Unde propterea in facti contingentia dicere quandoque confuevi, quod si traditio, vel notitia habetur, de bonis possessis, per Aron, & Melchisedek, antiquos sacerdotes, in istis ita esset incompetens Judeus laicus, atque leges laicales servari non deberent; Sive quod idem procedere deberet, in omnibus bonis totius mundi, quæ dici possunt sub quodam dominio habituali Noe, post diluvium, dum ipse exēundo ab Arca, sacrificium peregit, ideoque Sacerdos dici potest. *tit. de juri dicit. in supplemento.*

Eadem formalitas, dignoscitur quoque in altero interdicto adipiscenda, cum distinctione, inter illud immisionis, in vim Salviani, vel quorum bonorum, aut legis finalis; Et alterum, *associacionis;* Quod scilicet, istud posterius sit exequitatum, ac privilegiatum, dummodo concedatur per decretum interloquitorium, non autem per sententiam, ita verificata eadem duplii formalitate supra considerata, quæ resultet à majori, vel minori peritia, vel diligentia Causidici, eligendo viam decreti potius, quam schedula, sive adhibendo potius verbum associationis, quam alterum immisionis, quoties tam unum, quam alterum remedium pariformiter competenteret, dum eadem causa cognitio, eademque formales disputationes adhiberi solent, ut quotidiana praxis docet, ac etiam patet, ex decisionibus, quas super una, vel altera hujus possessori specie habemus. *decis. 373. par. 9. rec. ubi de associatione & se p̄sp̄mē.*

Hinc proinde dicendum est, vel nihil, vel totum, quod scilicet, vel appellatio suspensiva, tam in una, quam in altera specie judicii admitti debeat, vel in neutra, dum isto casu, nulla dignosci videtur congrua differentia ratio, sed totum

consistit in nuda formalitate verborum; Atque revera in stricta censura, privilegium associacionis procedit, quando agatur de mera concessione associationis familie, in forma mere extrajudiciali, & de facto, ad occurrentum scandalis, ac resistentis, prævia quadam monitione urbana possessoris, quæ ex sensu modernorum potius inolevit; Non autem quod sola formalitas procedendi per decretum, vel per sententiam, hanc notabilem diversitatem causare debeat; Quinimò (quod magis est) dum frequenter adhibetur utrumque, in illis præsertim causis, vel Tribunalibus, in quibus habeatur usus, vel abusus propinarum, quoniam, ut advertitur supra in rubrica expensarum. *supra disc. 39.* ob illam fictionem, quæ resultat à stylo habendi terminum preservato præviis duabus citationibus una pro decreto interloquitorio ad primam, & altera pro sententia distinctiva ad secundam, ita contextualliter, eodemque tempore utrumque manet.

Eadem cause formalis cognitio, ob quam etiam incongruit dicta ratio, cui summarissimi, ac extraordinarii remedii manutentiois privilegia innixa sunt, frequenter cadit in multis casibus, in quibus quæstiones intrant, super istius remedii competentiæ, vel incompetentiæ; Puta circa ipsius possessionis sufficientem, vel insufficientem probationem, sive an illa clara sit, sive turbida.

Aut circa efficaciam, vel inefficaciam clausula constiuti, cuius vigore istud interdictum retinenda quoque competere, in praxi receptum est. *tit. de donat. 14.* Sive vigore reservationis usus fructus, in donationibus, aliisque honorum assignationibus, *eod. disc. 14. de donat.* ita disputando, an constitutum, ratione incertitudinis, sit efficax vel inefficax ut supra; Sive an ejus inefficacia resulteret, ex eo quod collatum sit post mortem, & sic in tempus inhabile vel potius adit clausula *ex nunc protune, & preambula hora &c.* cum similibus frigitatibus; <sup>87</sup> Vel an idem constitutum sit consumptum in primo; Vel quod tanquam clausula accessoria, & consequitiva, subjaceat eidem vitio, cui subiacet ipse actus principalis. *eod. disc. 14. de donat.*

Sive alia intret alta quæstio, an possessio habeat juris resistentiam; Et quatenus ista adit, super ejus qualitate, an sit vehementis, vel non vehementis; Itaque etiam casu, an sit temporis considerabilis, cum tunc ea non obstante juris resistentia, sit manutentibilis. *add. ad Gregor. decis. 370. ad Buratt. decis. 131. decis. 85. par. 7. rec. & sub tit. de Regal. & alibi pluries.* Vel an habeat alicujus tituli colorati, vel ejus famæ, aut administrorum documentum, cum similibus considerationibus, ex quibus pendet, an possessio sit manutentione digna necne.

Aut quod cadat quæstio, an possessio sit infesta ab aliquo decreto irritante, ob quod regula est, ut manutentione indigna sit; Et converto autem allegetur aliqua ex limitationibus, quæ illi tradi solet; Et præsertim, ubi aliquod probabile dubium cadere valeat super comprehensionem; Aut quod allegetur moderatio, vel non usus illius legis, vel dispositionis, quæ tale decretum contineat, quasi quod ista discussione pendente, negari non debeat possessori manutentiois, saltem in ea facti dentatione. *Bich. decis. 364. Ottob. decis. 158. Buratt. & add. decis. 659. & 720.* Ista enim, ac alia quæ in materia infectionis ab hoc decreto resultantis cadunt, aliquam exigunt cause cognitiō

tionem, ac implicitam pronunciationem; Ideo-  
que non videtur quomodo congruant illa pri-  
vilegia, quæ verè congruant illi summario provi-  
sionali remedio, quod ut supra, *interim* dicitur.

Prout etiam, eadem cognitio cadit, quando  
manutentio petatur, non ex ratione actualis, ac  
naturalis possessionis, in qua de facto eam pe-  
tens exigit, sed ratione ficta & civilis, quæ ut  
supra prætentatur animo retenta. Eam vero alter  
possessor contendat esse amissam; Vel ob pa-  
tientiam, etiam modici temporis habita scientia  
occupationis rei ab altero; Vel ob lapsum decen-  
ni; Sive ob aliquam explicitam, vel implicitam  
animi declarationem, se habendi pro spoliato ut  
supra; converso autem Actor hanc amissionem  
excusat ob justa impedimenta, absentia, vel car-  
cerationis, aut paupertatis, & similia; Super his  
autem certa regula statui non potest, ac proprie-  
tati, erroneous est procedere cum generalitatibus,  
cum revera decisio pendeat ex singulorum  
casuum circumstantiis, prudenti, beneque regu-  
lato judicis arbitrio pensandis; Multo vero clari-  
rus, ubi impedimentum, directe, vel indirecte  
provenisset ab ipso spoliatore vel intruso.

Sive quod agatur de possessione iurium in-  
corporalium; Ut pro frequentiori contingenti  
habetur in quasi possessione exigendi annuas  
præstationes, vel pensiones, aut jura honorifica,  
& praeminentialia, dum in ipsis, ac similibus,  
non est verificabilis dicta species amissionis, per  
modicum tempus patientia, post scientiam  
occupationis; Minusque intrat altera species per  
lapsum decenni, cum agitur de materia faculta-  
tiva, id eoque per quemcumque lapsum tempo-  
ris non admittitur, nisi precedente petitione, &  
subsequente denegatione, sequatur etiam pati-  
entia. Buratt. & add. deci. 3 47. 60 4. 823. & 691.  
Pentinger. deci. 277. Bich-deci. 5 89. Fortius autem  
ubi, non casus, vel non exercitium possessionis,  
provenit ex absentia, vel ex eo quod defuerit  
occasio; Aut quod vacaverit officium vel digni-  
tas, cui possesso quæsita sit. *t. de preminent. disce.*  
26. Hæc enim omnia formalem cognitionem  
causæ exigunt.

Quamplures alii, peneque infiniti similes ca-  
sus in materia hujus judicii contingunt, in qui-  
bus, altæ indaginis quæstiones occurunt, an  
huic remedio locus esse debeat, necne; Et per  
consequens improprium videtur, de stricta juris  
censura, hujusmodi casibus applicare supradicta  
privilegia, quæ competunt huic remedio, quan-  
do revera illud prompte, atque incontinenti ad-  
hibere oportet per quandam speciem provisio-  
nis, quæ celeritatem desideret, neque patiatur  
dilationem, ut poterit producere in præjudicium ir-  
reparabilis, ut supra.

Est bene verum, quod in Curia, per Signatu-  
ram Justitiae, ad quam pertinet cognoscere, an &  
quando hujusmodi privilegia admittenda sint, illud  
præsertim processus exequitivus, ac denega-  
tions suspensiva appellationis, solet ad hujus-  
modi considerationes reflecti, atque ubi agatur  
de quæstionibus turbidis, & altæ indaginis, re-  
scribitur adversus hoc mandatum de manute-  
nendo, cum clausa suspensiva, nempe *cum fa-  
cilitate manutenendi quem de jure*; Præsertim vero  
hunc stylum Signatura habet, quando agatur  
de manutentione concessa adversus factum ju-  
dicis, tanquam nullum, vel notoriè injustum,

quoniam duobus judiciis hincinde colluctanti-  
bus, congruum, & rationabile est, ut videat ter-  
tius, quisnam ex duobus, bene, vel male fecer-  
rit.

Aduic tamen id non tollit difficultatem,  
quoniam hujusmodi arbitrium rerebendi cum  
clausulis, potius translatis, quam suspensivis,  
procedit in illis judiciis, quæ ex eorum regulari  
natura sint exequitiva, sed ob aliquam turbidi-  
tatem, videatur Principi, vel Magistratui, ad  
quem pertinet, hanc exequitionem alteri com-  
mittere, non immutata dicta judicij natura, sed  
solum immutata persona exequitoris, ut adver-  
titur supra in Rubrica appellationis, ac etiam in  
*relatione Curia agendo de Signatura Justitiae. su-  
pra discr. 37. & in relatione Curia discr. 31.*

At punctus est in regula, an intret, necne de  
natura judicij, processus exequitivus, quoties  
procedatur cum dispositione Iuri canonici, qua  
attenta in omnibus interdictis possessoriis, inde-  
finitè, atque pro regula generali, intrat applica-  
tio ut supra; Ideoque ista generalitas sita com-  
pleteatur hoc interdictum retinendæ, sicut illud  
adipiscenda, & recuperanda.

Istud itaque privilegium, quod in eo possel-  
lorio adipiscenda habetur, quod vocatur associ-  
ationis; Et in altero retinendæ, quod dicitur ma-  
numentionis, vel possessorii summiſſimi, quod  
contradistinguitur à plenario, redolent limita-  
tionem regulæ; Non quidem ex aliquo privile-  
gio, quod à lege eis attributum fuerit, sed ex ra-  
tione, quæ id suadeat; In prima scilicet specie as-  
sociationis, quoniam, istud non est interdictum  
possessoriorum, quod à Judice manet, dum est pos-  
sessio, quæ revera apprehenditur jure suo, atque  
licitè apprehendi potest, etiam sine Judice, qui  
potius dicitur gerere partes probi viri, potentis,  
& autoritativi, qui in forma extrajudiciali, sive  
familia comitatum illi tribuat; Atque in isto ca-  
su summiſſimæ manutentionis, id provenit à  
dicta ratione celeritatis, vel irreparabilis præju-  
dicii, seu inconvenientium, quæ alias accidere  
possunt, nisi prompte occurratur.

Igitur unum de duobus (loquendo per trami-  
tes juris) remanet erroneous, ac probalili ratio-  
ne destitutum; Vel scilicet, indefinitè admittere  
hujusmodi privilegia, temp̄ quod agatur de  
hoc interdicto retinendæ seu manutentionis, , 95  
non refectendo ad prædictas distinctiones; Vel  
constituendo differentiationem inter unam, & alte-  
ram hujusmodi interdictorum speciem.

Hinc propterea, intrare videtur dilemma  
quod; Aut procedendum est per apices seu re-  
gulas juris scripti; Et tunc pariformiter disposi-  
tio juris canonici, in omnibus tribus interdicto-  
rum speciebus procedere deberet, circa applica-  
bilitatem; Aut vero (ut mihi commendabilius  
videretur,) neglegentis hujusmodi superstitionis  
rigoribus, curandum est, ut quo magis fieri po-  
test refescunt formalitates, quæ ut plurimum  
ad aliud non servient, nisi pro fomento cal-  
umniarum, & subterfugiorum; Et tunc id par-  
formiter in omnibus dictis interdictis, vel speci-  
ebus practicandum esset, cum revera punctus  
non sit in formalitate verborum, vel termino-  
rum, sed in ratione, quæ distinguit casum à casu.

Prout etiam nulla subesse videtur congrua ra-  
tio, cur lex, rationabile reputet concedere pro-  
cessum exequitivum, & denegare appellatio-

nem

nem suspensivam, in iudicio immisionis, vel reintegrationis, inter laicos, & non debeat id rationabile reputare, ubi adit mixtura clericorum, vel bonorum ecclesiasticorum; Et consequenter totum provenit a nudis formalitatibus, quæ sapere videntur judaismum quando congrua ratio differentia non urgeat.

Differentia vero, an procedatur per decretum interloquitorum, vel per sententiam, non pro 96 venit, quia sic legi statuerit placuerit, vel quod una via iudicati habeat unam naturam, & altera alteram, dum ita pariter effet imponere legem, potius verbis, quam rebus, ac effet ponere in arbitrio cuiuscumque Judicis, etiam inferioris, cum ejus modo procedendi, tollere appellacionem, quando debet intrare, vel eam concedere quando debet denegari, quod eadem Rota quandoque agnovit, ac falsa est redolere absurdum. *decis. 84. par. 7. rec.* Sed ista differentia, iuridica quidem, ideoque merito admissa in praxi, duplum habet probabilem rationem; Primo scilicet quod quando proceditur per sententiam diffinittivam, tangi videtur petitorum, ejusque mixtu- 97 ra adest, cuius ratione cessat privilegium iudicii possessorii, etiam quando alias intraret. *Burratt. & add. dec. 625. Ottob. dec. 236.* Et secundo quia procedendo per decretum interloquitorum, adest non videtur gravamen adeo considerabile, dum adhuc liberum remanet eidem Iudicii, illud reparandi, ob facultatem reponendi, atque concedendi manutentionem alteri parti, adeo ut verificabili sit supra insinuatum dictum Præticorum, *hodie mihi, cras tibi*, quod dici non potest, quando procedatur per sententiam diffinittivam, per quam Iudex functus dicitur officio suo, nequidista reponendi facultas amplius competit. *dec. 20. par. 10. rec. & supra dis. 37. & ali. plures.* Ideoque firmum remanet, quod puntus non est in formalitatibus, sed in ratione.

Penè autem impossibile videtur, recensere alios casus, in quibus in hoc iudicio manutentionis, quæstiones altera indaginis cadunt, unde propterea, causa cognitionis adhibetur, tanquam per speciem petitorum, vel possessorii plenarii, adeo ut intrent insinuatae incongruentiae applicandi illa privilegia, quæ revera percutiunt illud solum possessorium, quod summarissimum est, ac provisionale, ideoque potius extrajudiciale, quæm iudiciale sit; Illi etenim elaborati scriptores, qui de hoc possessorio ex professo agere studuerunt quamvis magna desuper confecerint volumina, adhuc tamen neque omnes casus recensere potuerunt, sive in eis firmam statuere regulam. *Pofb. intratq. de manutenen. cuius revera materia est incapax.*

Quare (ut præmissum est) erroneum videtur, eum solis generalitatibus in hac materia procedere, sive indefinitè cuicunque casui applicare 98 decisiones, vel auctoritates, quæ certos casus percipient, cum revera totum pendeat à facti qualitate, & singulorum casuum circumstantiis, ex quibus inspicendum est, an subiecta materia patiatur dilationem, vel è converso desiderat celeritatem, adeo ut congruat, nec ne, ratio quæ inducit discretivam inter unam, ac alteram possessorii speciem.

Præceter autem, demonstrativè solum insinuantur aliqui casus, qui pro Curia praxi videntur frequentiores, ideoque aliqua animadversione digni videntur ad hunc effectum.

Primo nempe, quando agatur de illa manutentione, quæ petatur ex sola assistentia juris, absque necessitate alterius extrinsecæ probatio- nis possessionis de facto; Id autem, juxta opinio- nem, quæ in Curia est recepta, non admittitur, 99 nisi in materia jurisdictionali, quod scilicet Ordinario loci habentia assistentiam juris in omnibus Ecclesiis & clericis ac personis ecclesiasticis intra limites suæ diœcesis, competit manutentio ex hac sola assistentia. *tit. de jurisdic. 1. cum plur. seqq.* Denegatur autem in aliis, etiam in illa decimaru[m] ad favorem parochi, quamvis iste eandem habeat assistentiam intra limites sua parochiæ, quoties aliqua saltim adminiculativa probatio non accedit. *tit. de decim. disc. 1. & 5. & sepius Et nihilominus*, etiam in dicta materia jurisdictionali, in qua, sola assistentia sufficit involuta, aliaque indaginis contingunt quæstiones, quæ formale exigunt causæ cognitionem, ut patet ex iis, quæ in hujus iurisdictionalis materia sede habentur. *dicto tit. de jurisdic. 1. cum multis seqq. & in supplemento.*

Secundò ubi idem possessorium remedium intentetur in iis speciebus, in quibus possessionis probatio non habeatur, idque petatur ex privilegio, seu natura causæ universalis, ut scilicet, ex possessione vel exercitio aliquorum actuum jurisdictionalium, inferatur ad acquisitionem, & conservationem possessionis jurisdictionis pro omnibus actibus & causis; Aut quod ex possessione perceptionis decimaru[m] ex aliquibus speciebus fructuum, inferatur ad omnes alias species, quæ de novo introducantur, vel subrogentur; Sive quod ex probatione possessionis in eodem jure decimandi, vel collectandi, alias personas, vel aliqua bona, inferatur ad possessionem in universum respectu omnium, cum similibus; Id autem pendet ab eadem assistentia iutis, super competencia vel incompetencia causæ, vel juris universalis; Puta quia agatur de Ordinario habente ut supra juris assistentiam in universa jurisdictione Episcopali, in suo territorio, vel dioecesi; Vel de parocho habente eamdem assistentiam in jure decimandi, vel in aliis iuribus parochialibus, cum omnibus personis, & bonis intra suæ parochiæ fines; Aut de Communitate habente ius collectandi in universum personas, ac bona sui territorii, cum similibus; Vel è converso agatur de Praelato inferiori, vel de non parocho, sive de persona privata, aut de Barone, cui respetiva facultas de jure non competit, sed prætendatur ex privilegio, vel ex præscriptione, quoniam tunc non intrat ratio causæ universalis; Sed tantum præscriptum, quantum poss' sit, sive hoc interdictum non nisi ad limites præcitos possessionis prætendi potest; Et in summa intrat ea distinctio, quæ habetur inter illum, qui habet pro se regulam, & illum qui nititur limitationi. *dicto disc. 1. de iuri dict. & tit. de decim. disc. 18.*

Tertiò proxime, quando ex possessione in parte inferatur ad totum; Puta (exemplificando in eo quod frequentius habemus in praxi) continet in pensionibus ecclesiasticis, ex quibus à pari, inferri potest ad census, aliasque annuas præstationes, quod scilicet quasi possessio ad effectum manutentionis, acquiritur, ac sufficit, non solum per solutionem unius termini, sed etiam per solutionem ejus partis, etiam modicæ. *titul. de pension. discurs. 37.* Verum quia id intelligi-

tur, quatenus ista pars soluta sit animo recognoscendi totum tanquam pars totius, atque (ut dicitur) ad computum; Secùs autem ubi ea sola pars soluta sit, quia plus non deberi prætendatur *ed. disc. 37.* Idcirco super hoc disputari solet, atque intrat etiam causa cognitio.

Quarto, ubi ex possessione contra unam personam prætendatur manutentio contra alteram; Puta contra successorem ejus, cum quo possesso<sup>102</sup> acquisitione est, ex regula quod istud judicium regulatur ex persona actoris, ideoque ejus jus non variatur ex persona rei, & debitoris; Et consequenter possessio contra defunctorum vel prædecessorum, suffragatur contra hæredem vel contra successorem, ut prasertim in pensionibus ecclesiasticis, vel in annuis præstabilitibus quotidiana praxis docet. *ed. titu. de pension. discurs. 30.*

Sive è converso, quando ex possessione prædecessoris, successor juvari velit, istudque remedium intentare; Idque procedit quando agatur de successore in dignitate, vel officio, seu beneficio, vel prælatura, cui principaliter possessio acquisita dicatur, explicato solum commodo, vel exercitio per ejus possessorum ex cuius persona mutatione non variatur jus vel possessio, quæsita ipsi Ecclesiæ, vel dignitati, vel officio, seu feudo, aut prælatura &c. *disc. 26. de præminent. & tit. de jure patr. disc. 6. 3.*

In his etenim ac similibus, ex rationis identitate, congruit illa propositio, quæ traditur per Feudistas, quod scilicet feudum dicitur homo surdus & mutus, alia membra habens impedita, unde propterea ejus jura exercet per feudarium tanquam per ejus curatorem, vel ministrum, sive organum &c. cuius immutatio ejus jus immutare non debet. *tit. de feud. pluries. & disc. 26. de præminent.* Secùs autem ubi agatur de possessione quæsita jure privato, dum ea non transfertur in hæredem vel successorem, absque nova apprehensione, quamvis agatur de iuribus incorporalibus, ideoque hæredi, vel successori non competit hoc remedium possessorum, quinimò neque alterum reintegratorum ex persona propria, si spoliū commissum est cum defuncto, nisi quatenus, si tamen, vel ejus hæreditatis nomine petatur. *tit. de hærede disc. 26.*

Quinto ubi prætendatur cessata causa possundi activa, vel passiva, quia scilicet quis solvere rit annum præstationem, vel aliud passivum onus sentierit occasionaliter, seu causativè, ratione alicuius rei, vel officii, seu muneris, quo celsaute, resoluta quoque prætendatur possessio. *tit. de Regal. disc. 8. & sequ. & tit. de empt. disc. 23. & 39.* Sive quod ista sit ad certum tempus, vel sub certa conditione, quæ prætendatur purificata vel defecta, cum tunc non remaneat amplius operativa, & manutenebilis. *Manic. disc. 277.* Idemque è converso in possessione activa, quæ talem habeat qualitatem, sive quod id sit in quæstione, quoniam pariter causa cognitio intrat.

Sexto, ubi ipsa possessio cadat in quæstione; Puta quia prætendatur tradita per eum qui ad id sufficientem facultatem non habet, ut juxta frequentiorem contingentiam habetur in illis solutionibus ecclesiasticæ pensionis, quæ fiant per Campsorem, vel alium tertium, in quo prætendatur non adesse sufficiens mandatum. *Pofth. de manut. obser. 35. ex num. 71.* Sive è converso prætendarur quod activa possessio sit ma-

lè quæsita; Vel quia servata non sit forma, quæ servari debebat. *Buratt. decis. 67. Bich. decis. 309. & 364.* Vel quia quæsita sit ex facto tertii, qui actum explicare non poterat, puta per eum, qui non haberet sufficiens mandatum ad illam possessionem capiendam. *Buratt. decis. 876 deci. 205. apud Pofth. de subbast.* Sive ubi agatur de possessione quæ prætendatur quæsita per colonum. *decis. 153. par. 7 rec. add. ad Buratt. dec. 732.* Vel quod sit solum instrumentalis, quæ non sufficit. *Greg. decis. 268. Buratt. decis. 67. Pofth. de manut. obser. 21.* cum similibus super quibus aliquam causæ cognitionem adhibere oporteat.

Septimò ubi, non controversa possessione de facto, controvèrtatur de jure, ut causa possiden<sup>103</sup>di sit insufficiens, quia nempe agatur de facultatibus, in quibus possessio non infert præjudicium neque isto interdicto digna reputatur; Adhuc tamen è converso prætendi solet, ut etiam in his facultatibus, notabilis diuturnitas temporis vel multiplicitas actuum reddat hanc possessionem manutenebilem. *Bieb. decis. 522.*

Octavo quamvis (ut supra) possessio acquisita per aliquem jure privato, non transferatur in hæredem, vel successorem, nisi apprehendatur, quoniam possessio dicitur quid facti; Eaque apprehensa in una re, suffragatur solum in ejus membris, & dependentiis, non autem in alia re diversa, etiamque agatur de iuribus incorporalibus *tit. de hærede disc. 26.* Adhuc tamen frequens, & prasertim in Italia habetur usus Statutorum continuantium possessionem defundi in hæredem vel successorem; Itaque dicitur ficta, & civilissima possessio, quæ apta est ad manutentionem; Sed nihilominus intrant limitationes, quando haec civilissima possessio interversa sit de facto per aliam naturalem, sive quod ipsum jus hæreditarium sit in quæstione; Aut quod prætendatur contra judicium defundi cum aliis limitationibus, quæ desuper tradi solent, ut in sua sede. *ed. disc. 26. de hærede.*

Nono, ubi agatur de exceptionibus boni juris <sup>104</sup> quod incontinenti probatum prætendatur, ideoque ratione dolii, vel inanis circuitus seu canonicae æquitatis præcedatur, ut obstare debeat, quoniam regula est negativa, ut in hoc judicio non attendantur exceptiones boni juris, ut patiter supra occasione agendi de cumulatione petitorum cum possessorio actum est; Nisi quando omnimoda certitudo, vel notorietas locum aperiat officio Judicis. *supra lib. 1.* Sive quod agatur de possessione, quæ pendaat à titulo, ad quem possessor imprudenter illam restrinxerit, cum ejusdem tituli præcisa, & præjudiciali productione, cum tunc vitium tituli influat etiam in possessionem. *tit. de Regal. disc. 47. tit. de cens. disc. 11. Lotter. de benef. lib. 2. quæst. 46. ex n. 31.*

Quoties enim ista imprudens restrictio non accedit, ob quam Practici dicunt, quod sibi imputet possessor, cur se suo ligone percussit, non admittitur defectus tituli, neque urget necessitas justificandi aliquam qualitatem, quæ necessaria sit; Praterquam ubi agatur de illis iuribus regalibus, que sine titulo haberi non possunt, & in quibus pro legibus vel stylis principatum seu locorum, sola possessio non sufficit. *tit. de Regal. disc. 14.* Quoties et non sit temporis considerabilis, ut habetur supra occasione agendi de possessione habente juris resistentiam.

Quæstio autem est inter Scrubentes, an eas quæ de iuribus regalibus, & similibus habentur,

tur, procedant quoque in beneficialibus ; Et  
quamvis plerique affirmativam teneant. Fran-  
108 ges de intruso quest. 51. Attamen in Curia magis  
recepta videtur negativa, quoties de omnino cer-  
ta, & notoria intrusione non agatur. Posth. obser.  
42. supra disc. 2. & est in Curia receptum.

Prout etiam in pensionibus ecclesiasticis ,  
quamvis pro illis ex recepto Curiae stylo sit ne-  
cessarius clericatus , neque exigi possint alias  
109 quam vigore literarum sub decreto nullatio  
Attamen haec non attenduntur in isto possesso  
rio ob possibilitatem justificationis in petito-  
rio, solumque de Curiae stylo, ut decernatur ma-  
nuntio, desiderari solet, quod constet saltem  
de supplicatione. *vit. de pension. disc. 37.*

Decimò, ubi etiam constet de possessione in-  
sufficienti, putà quia sine jure familiaritatis, vel  
110 administrationis, aut facultatis, pretendatur  
ejus mutatio in melius ex supervenienti causa,  
vel titulo , unde propterea allegetur mutatio,  
qua de jure præsumitur, etiam sine aliqua decla-  
ratione juxta opinionem in Curia magis recep-  
tam; Quoties tamen contraria probatio expressa  
vel præsumpta non tollat istam simplicem juris  
præsumptionem, ut præsertim contingere solet,  
quando post superventum novum titulum ad-  
huc declaravit possidere ex priori causa , sine  
quod alia facti circumstantiae disuadeant. *Othob.*

decif. 104. decif. 97. & 108. par. 5. rec. Posth. de manu  
obser. 54.

De multis verò aliis similibus questionibus,  
facile est videre apud eos , qui de hac materia ex  
professo agunt ; Sive quod incidenter sub diver-  
sis materiis de illis agatur , cum præmissa tan-  
quam in praxi frequentiora , ita summatum insi-  
nuasse videatur latiss.

In quacunque verò instantia istud judicium  
est exercibile, adeo ut non obstante una vel plus  
111 res sententiæ contrarie, quoties non adsit obsta-  
culum rei judicatae, que illud cessare facit; Et ni-  
hilominus etiam isto casu est exercibile quando  
adversus rem judicata m commissa sit , ac pen-  
deat causa restitutionis in integrum , dummodo  
exequitio non sit capta , vel juris ministerio fa-  
cta non censeatur. *supra disc. 38.*

Atque ex isto remedio prodire solet alterum  
processus exequitivi etiam in actione persona-  
li, quia nempe quando mandatum de manu-  
nendo concessum sit , atque constitutum est in  
statu exequibilitatis, utpote non impeditum ab  
aliqua clausula translativa exequitionis , tunc  
pro ejus effectuacione conceditur quoque man-  
datum exequitivum contra personam & bona,  
juxta quotidiam praxim pro qualitate  
subjectæ materie.

